



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

III. Ein ander Privilegium und Begiftigung Maggraff Albrechts zu Brandenburk dem Closter Himmelpfort gegeben, ist der ersten Foundation fast worttlieb gleich.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

II. Ein Ratification vnd bestetigungsbrieff Bischoff Volradis Zu Brandenburk etc. der obgesetzten Fundation vnd Donation des Closters Himmelpforten.

In nomine Domini Amen. Volradus, Dei gratia Brandenburgensis Ecclesie Episcopus, Vniuersis Christi fidelibus presentium literarum inspectoribus in omnium saluatore salutem. — Quanquam iuxta prophete uaticinium non solum in Judea, sed et in omnibus gentibus longe lateque per orbem magnum nomen domini innotescit et in omni loco uniuersorum Dominus, qui illocalis et incircumscribitus est spiritus, oblationem mundanam nomini suo sanctissimo offerri a fidelibus gloriatur, Nihilominus in omni loco dominationis eius, quo religiosus invenitur ac deuotius feruentiusque Deo feruitur, illic munus gratius acceptabilisque de manu omnipotentis suscipitur. Audientes itaque quandam donationem ab illustri principe Alberto, Marchione Brandenburgensi, Cythercienfi ordini et domino Abbati et conventui in Lenyn in predio, quod Thymen dicitur, in ceterisque possessionibus et conterminijs circumiacentibus super nouo monasterio eiusdem ordinis ibidem fundando et construendo fuisse collatam, ob Ecclesie Dei in nostra Dyocesi amplificationem ac Cythercienfis ordinis, quem speciali favore prosequimur, dilatationem, exultauimus spiritu in domino gestientes petitionique Venerabilis patris predicti domini Jo. Abbatis prefati Coenobij, totiusque Collegij Lenynensis gratuito affectu ac libentj animo annuentes, prelibatam nouj monasterij fundationem seu constructionem ordinis Cythercienfis et ipsius Domus in quocunque loco collate seu conferende proprietatis a dicto principe nobilj Alberto situationem, sub nostre pastoralis cure tuitione ratificamus, liberum in omnibus prebentes assensum. Consentientes nihilominus et licenciantes, quod in supradicto loco Capella et in eadem altare construantur, ut interim ibidem ualeant celebrari missarum solemnia, donec predicta omnia confumentur. Vt autem hec nostra ratificatio perpetuam obtineat firmitatem, hanc paginam nostrj sigillj appensione fecimus communiri. Datum Anno M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XCIX<sup>o</sup>., II Nonas decembris, pontificatus nostrj Anno III.

Dass diese obgesetzte Copey mit Irem Rechten Pergamenen Originalen von mir Erassmo Seydell, Meissnischen Bischtums und vonn beyden Gewalten Offen Notario, auscultirt und Collationiret, Auch mit demselben In allenn seinen Puncten vnd Artikelenn übereinrufft vnd gleichlautend ist, Dass bezeuge und bekenne Ich mit Diser meiner eigen Handschrift. —

III. Ein ander Privilegium und Begiftigung Marggraff Albrechts zu Brandenburk dem Closter Himmelpfort gegeben, ist der ersten Fundation fast worttlich gleich.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Amen. Cum iuuenes simul et uirgines, senes cum iunioribus, Immo omnis spiritus laudare dominum teneatur, Maxime tamen Reges terre et principes et hij, qui de manu domini plus alijs acceperunt. Nos igitur Albertus, Dej gratia Marchio Brandenburgensis, recognoscimus publice per presentes, Quod de bonis a Deo nobis temporaliter concessis ampliare cultum diuinj nominis cupientes, cum consilio et auxilio Reuerendi patris Domini Johannis, Abbatis Ecclesie Leninensis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis eiusque pie matris Marie Virginis perpetue, ad salutem quoque animarum, nostre uidelicet ac progenitorum nostrorum, et specialiter generosj principis, Charissimj fratris nostrj, Ottonis et



filiorum suorum, ac etiam filiorum nostrorum Ottonis et Johannis et heredum ac successorum nostrorum, nouelle plantationis Ecclesiam ordinis Cisterciensis in terra nostra Lychen fundauimus, quam appellauimus Coeliportam, quamque bonis nostris dotauimus infra scriptis. Donauimus enim eidem Ecclesie primo Villam Carstauell cum suis pertinentijs, Magnam Thymen cum molendino, quod Thymer Möllen dicitur. Insuper omnes Mericas et siluas siue paludes adiacentes et specialiter siluam, que Stolpenbruk dicitur. Item dimidium Molendinum Stolp cum merica et silua, que protenditur a metis campj Carstauel usque in Furstenbergk. Item uillam Garlin cum merica et distinctionibus suis. Item paruam Thymen cum Molendino. Item uillam Lyneiezere cum suis pertinentijs. Item uillam Brufenwalde cum pertinentijs suis. Item molendina in ciuitate Lychen et molendinum ante ciuitatem eandem et molendina apud uillam Kultrin. Item stagnum Platekoue. Item stagnum protendens a Villa Wubechar usque ad molendinum infra Lychen et deinde usque ad uillam Stolp. Item stagnum Stolp usque in Furstenbergk cum paruo stagno adiacente. Item stagnum apud magnam Thymen. Item stagnum Zwagherou. Item stagnum Dobelou. Item stagnum Bringhentyn. Item stagnum apud Lyneiezere. Item stagnum situatum in campo Lybbewe. Item stagnum apud Carstauel. Item stagnum apud Rutenbergk, quod Krun dicitur. Item ab eodem stagno Krun omnia stagna interiacentia usque in Lychen et generaliter omnia stagna magna et parua, riuos et omnes aquas ad terram Lychen pertinentes, cum piscationibus et utilitatibus singularum, cum molendinis iam constructis et processu temporis construendis. Villas quoque predictas cum omnibus agris cultis et incultis, nemoribus et mericis, siluis et paludibus, pratis, pascuis et omnibus attinentijs et distinctionibus, cum omni iure, proprietate, iurisdictione, dominio et utilitatibus quibuslibet in omnibus et per omnia, quemadmodum eas hucusque possedimus, eidem Ecclesie Coeliporte donauimus iusto proprietatis ac libertatis titulo in perpetuum possidendas. Ad hec sane presentibus recognoscimus. Nos, aduocatos nostros, qui pro tempore fuerint, seu Bodellos, in premissis bonis eiusdem Ecclesie in quacunque causa criminali uel ciuili iudicandi nullam potestatem debere aliquatenus exercere. Ipsa enim bona ab omni precaria, exactione qualibet et omni seruitio communi et speciali libera perpetuo donauimus et exempta, nihil iuris in eis nobis uel nostris successoribus referuantes. Ut igitur hec nostra gratia seu donatio eidem Ecclesie a nobis et nostris successoribus inuolabiliter perpetuo obseruetur, presentes inde conscribi et sigilli nostri appensione iussimus communi. Testes quoque huius sunt: Dominus Ludolphus, prepositus in Bernauu, Dominus Hermannus, prepositus in Landesbergk, Dominus Johannes, prepositus in Soldyn, Dominus Arnoldus, plebanus in Euersualde, Dominus Joannes, plebanus in Bysdall; Dominumque Brunonem de Berlyn et Magistrum Johannem de Dymyn, Capellanos nostros, Conradum de Veltbergk, Wilhelmum Soneken, Buffonem de Dolla, Wilhelmum de Lubrechezdorp, Albertum de Heydebrake, Rodolphum de Wudensweghen, Henricum de Lowenberg et Buffonem de Doere, Milites, et quamplures alios fidedignos scire fecimus et manifestauius prefens factum. Actum et datum in Soldin, Anno Domini Millesimo Trecentesimo, Die purificationis Marie uirginis gloriose.

Dise Copei Ist gleicher gestalt wie Die obgesetzten Beyde vonn mir obgenanntem Notario Erasmo Seydeln, mit Irem Rechtem Original Auscultiret und Collationiret vnd ist Demselben In allen seinen Puncten vnd Artikeln gleichlautende. Welchss Ich betzeuge vnd bekenne durch dise meyne eygene Handtschrift.